

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3492

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1249

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Enquête sur les usurpations de Simon de Normanville et de ses héritiers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 481, p. 80-81.

Texte établi d'après a

Anno Domini M° CC° XL° nono inquisitione facta super surprisuris quas dominus Symon de Normanvilla et heredes sui fecerunt apud Normanvillam ultra donum quod dominus rex fecit eidem Symoni et heredibus suis.

§ Simon de Villaribus, miles, juratus, dicit quod bone memorie Ludovicus, Dei gratia, Francorum Rex, dedit in escambium domino Symoni de Pissiaco veteri et heredibus suis de uxore sua desponsata Normanvillam, ita quod dictus Symon neque heredes sui dictam fortericiam non possent inforciorare sine assensu domini Regis. Dedit etiam dictus Rex dicto Symoni veteri XXXVIII acras Bosci Morini, LIIII acras de Malevilla, et XX acras Chesneie, et XX acras bosci Normanville ultra aquam, et VIxx acras terre arabilis circa Normanvillam et tria molendina apud Normanvillam et XVI libras XVII solidos VIII denarios turonenses censuales, et LVI solidos III denarios turonenses census in vinea Guillelmi Borgongnel et aquam Normanville, et prata que habebat dominus Rex apud Normanvillam, et justicias et emendas ad usus et consuetudines Normannie. Boscus autem, qui est ultra aquam predictam per deversus Ebroicas, remansit domino Regi, et pro tali escambio quitavit dominus Symon domino Regi im perpetuum quicquid habebat in Beaufort in Valeia cum ejus pertinenciis. Inquisitus de sorpresturis, dixit quod dictus Symon et heredes sui, post dictum excambium, ad se traxerunt et sorpresserunt indebite, sicut credit, et contra dominum Regem unum feodum lorice integre situm apud Menillum Fuget et apud Bumois quod feodum dicitur unum de quinque feodis Normanville et adhuc tenet et possidet Symon de Normanvilla, scutifer, filius dicti Symonis de Normanvilla, militis, illud feodum indebite, sicut credit, et quod de feodo supradicto non fuit facta mencio in partibus prenotatis ad dictum excambium faciendum. Item dicit dictus Symon de Villaribus, juratus, quod dictus Symon vetus et heredes ad se traxerunt et suppriserunt supra dominum Regem unum feodum francum situm apud Tornevillam quod tenet Gilebertus de Caamblon a domino Rege, et provocat se tenere a dicto Rege, et Symon de Normanvilla scutifer, asserit quod debet teneri a se ipso. Item dixit Symon, juratus, quod dictus Symon vetus, miles, et heredes sui suppriserunt et ad se volunt trahere feodum quod tenet Esveillardus apud Normanvillam, quod feodum fuit domini Durandi Despiri, militis, et debet teneri a domino Rege et provocat dictus Esveillardus se tenere illud a domino Rege, et Symon de Normanvilla, scutifer, asserit quod debet teneri a se ipso. Item dicit idem Simon, juratus, quod suppriserunt quartum unius feodi quod tenet Guillelmus de Tornevilla. Et debet teneri a domino Rege et provocat dictus Guillelmus se tenere illud a domino Rege, et dictus Symon, scutifer, de Normanvilla, asserit quod debet teneri a seipso. Hec omnia dicit Symon, miles, juratus, quod dictus Simon vetus et heredes sui suppriserunt supra dominum Regem eo quod non fit mentio de illis partibus supradictis in excambio supradicto. Item dicit idem

Symon, miles, juratus, quod due acre prati quas Petrus de la Gomfraile tenet, sunt de feodo, quod tenet Guillelmus de Tornevilla a domino Rege et vult dictus Symon de Normanvilla quod teneantur a semetipso.

§ Lucas de Dumo, miles, juratus, dicit idem per omnia quod dictus Symon.

§ Stephanus de Nusement, miles, juratus, dicit idem per omnia quod dictus Symon.

§ Johannes de Huest, miles, juratus, dicit idem per omnia quod dictus Symon.

§ Andreas de Caiel, miles, juratus, dicit idem per omnia quod dictus Symon.

§ Robertus de Botemont, juratus, dicit idem per omnia quod Symon, primus testis, et adhuc quod feodum de Malevilla per deversus Ebroicas, ultra viam, debet teneri a domino Rege, et dicit quod ipse vidit et presens fuit, quando primum releveium, quod levatum fuit a dicto feodo, post excambium supradictum, quod solutum fuit Richardo Assetes, tunc temporis preposito Ebroicensi, et modo tenetur idem feodum a dicto Symone de Normanvilla ; set ipse nescit rationem quare, nisi per superstruram. Item dicit idem Robertus, juratus, quod bosci quos tenet Reginaldus de Monasterio debent similiter teneri a domino Rege ; modo tenentur a dicto Symone de Normanvilla ; set nescit idem Robertus rationem quare, nisi per surpruram.

§ Robertus Corbrae, Stephanus Odart, Guillelmus Piscator, Galois de Sancto Germano, Renodus de Sancto Germano, Henricus Brabaut, Guillelmus Bornin, Rogerus Ermenent, Guillelmus Augaud, Robertus Faber, Robertus de Noion, Taurinus Tegularius, Richardus Chardon, Ricardus dictus Eremborc, Houcetus Cordoen, Ricardus le Tenl', Guibert, Gausquelinus, idem per omnia quod Robertus.

§ Richardus Anglicus, Pianus li Cers, Rogerus Gelinel, Adam dictus Comes, Laurencius de Tornevilla, Stephanus de Tornevilla, Gilotus de Haia, Odardus de Tornevilla, idem per omnia quod Robertus.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod nos dilectis et fidelibus nostris Ade vicecomiti Meludunensi, et Simoni de Pissiaco, et Johanni Briardi, propter terram quam Arthurus eis dederat, damus et concedimus in feodum et hominagium ligium, Bellumfortem cum pertinentiis ejus, tenendum ab eis et ipsorum heredibus de uxore eorum desponsatis (sic), de nobis et heredibus nostris, per servicium quod terra illa debet, ad usus et consuetudines andegavenses ; ita tamen quod, si dictam terram Bellifortis cum ipsius pertinentiis amitterent, nos nullum restauramentum eis facere teneremur extra comitatum andegavensem. Quod ut ratum, etc. Actum anno Domini M° CC° VI°, regni XXVIII°. Data, vacante cancellaria, per manum fratris Garini.